

Maximilianus Verhovacz, Episcopus Zagrabiensis, S. C. R. A. Majestatis Actualis Intimus Status Consiliarius.

Comes Adamus Orsich, S. C. R. A. Majestatis Camerarius.

Franciscus Ponekovics, Tabulae Banalis Assessor.

Item Zagrabiensis et Varasdinensis Comitatum Vice-Comites.

De Terreno Repas et Diverticulo Kethely, per Confinium Varasdinense occupatis, Comitatus Simeghiensi restituendis.

Articulus 27.

Statibus et Ordinibus, reflexe ad Artic. 13. An. 1751. et Art. 63. An. 1790¹/₁. Postulatum quoad Terrenum Repas et Diverticulum Kethely, per Confinium Varasdinense occupata reiterantibus: Sua Majestas Sacratissima benigne resolvere dignata est: quod Politico-Militarem mixtam Commissionem, coram qua Partes praetendentes Expositionem et Praetensionem suam legitimare possint, mox benigne denominatura sit.

FRANCISCI II. IMPERATORIS & REGIS I. DECRETUM IV. ANNI 1805.

Quoad modum Insurrectionis in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae renovatur Articulus 59. An. 1741.

Articulus 2.

Sua Majestas Sacratissima, erga humillimas ex parte Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae propositas preces, clementer annuit, ut provisio Articuli 59. An. 1741. relate ad Insurrectionem eorundem Regnorum in suo vigore permaneat et Insurrectio taliter coordinata, a Supremis Suae Serenitatis Regiae Domini Regni Palatini Ordinibus, in modernis extraordinariis rerum adjunctis dependeat.

§. 1. Praeter peditatum, Banderiali etiam eorundem equitatu, hac etiam vice peracta lustratione, ab altissimo Aerario provideatur.